



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Legionum arma consignata signaculo crucis Seruatoris. Cap. XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EVSEBII DE VITA

Quemadmodum etiam legiones gentiles in  
dominicis precari mandauerit.

CAP. XIX.

**C**VMq; hunc salutarem diem, quem lucis vel solis diem  
appellamus, vniuersum exercitum omni studio colere  
docuisse: hiis qui diuino instinctu fidem sequuti e-  
rant, oculum fecit, ut libere possint ecclesiam Dei frequen-  
tare: quô sine ullo impedimento preces Deo persoluerêt:  
Sed aliis qui nondum diuinam degustarant doctrinam, alia  
quadam lege mandauit, ut Dominicis diebus in patentes  
suburbiorum campos exirent: atque ut ibi eadem pre-  
cationis forma, dato ab uno aliquo signo, omnes simul ad  
Deum uterentur. Non enim oportere aiebat hastis vti: &  
rerum suarum spem in armis aut corporum viribus ponere:  
sed vniuersitatis Deum rerum omnium bonarum & ipsius  
victoriae authorem agnoscere. Cui oporteret pansi in ca-  
lum manibus: & sublatis altissimè ad cælestem regem men-  
tis oculis constitutas preces reddere: & illum victoriam lar-  
gitorem, & conseruatorem, custodem, nobis adiutoremque  
precibus imploremus. Formulam vero precandi ipse om-  
nibus militibus præscripsit: mandauitq; ut Romana lingua  
ita omnes precarentur.

*Precationis formulæ legionibus à Constantino date.*

CAP. XX.

**T**E solum Deum agnoscimus: te Regem profitemur: te  
adiutorem inuocamus: per te victorias consequi su-  
mus: per te hostes superauimus: abs te & præsentem  
fœlicitatem cōsequutos fatemur, & futuram adepturos spe-  
ramus: tui omnes supplices sumus: abs te petimus, ut Con-  
stantinum imperatorem nostrum una cum piis eius libertis,  
quām diutissime nobis saluum & victorem conserues.  
Eiusmodi ferè sanciebat à militibus, solis die fieri, talesque  
ab eis voces in diuinis precibus adhiberi.

*Legionum arma consignata signaculo crucis  
Seruatoris.* CAP. XXI.

**P**Ræterea etiam in ipsis armis salutaris trophyæ signum  
insculpi armatoque exercitui præterri fecit: & vt solum  
hoc

hoc salutare Trophæum, non ullam ut ante consueuerant inauratam statuam sequerentur. Ipse vero tanquam sacrorum mysteriorum particeps: intra secretas se regiæ partes Itatis quotidiè temporibus concludens, solus cum solo loquebatur Deo, & supplici voce in genua proiectus: humili vultu: & deiectis oculis à Deo petebat, ut quibus egeret rebus per illum consequeretur.

*De oratione & honore adhibito in celebritate*

*Paschæ. CAP. XXII.*

**S**ED hanc religionis exercitationem salutaris festi temporibus augens, omnibus viribus cum animi tum corporis diuinos sacrorum ritus obibat: quasi qui huius magnæ solemnitatis exemplum omnibus præberet. Nocturnam vero in hoc festo peruigationem tam claram redidit, quam diurnam lucem: accensis tota vrbe per certos homines (quibus hoc munus delegatum fuit) quam celsissimis cereis candelis, etiam lampadibus igneis omnes laterbras collustrantibus: ut illa mystica pernoctatio longè clarior ipsa solis luce redderetur. Iam recipiente se aurora servuatoris benignitatem imitatus, omnibus ex quovis plebis populive genere beneficam & prolixam manum porrigit: collatis in omnes maximis beneficijs. Ad hunc igitur modum Deo ille suo, quasi sacerdos quidam sacra faciebat.

*Quomodo idolorum cultum vetuerit: sed martyres & festorum celebritates honorauerit.*

*CAP. XXIII.*

**O**MNINO omnibus Romano imperio subiectis gentibus & legionibus idolatriæ fôres clausæ erant: repressumque quoduis idolis sacrificandi genus. Etiam ad ipsos gentium præfectos imperatoris nutu & voluntate edictum perlatum est: ut illi perinde Dominicum diem venerarentur. Idem consecratos Martiribus dies honore prosequabantur, & festorum solemnitates in ecclesiis celebrabant, quæ omnia secundum imperatoris voluntatem gerebantur.

*Quæd*